



MArquardus Greter Biberaci ex nobili patri-
 tiorum genere natus, ac in omni genere uir-
 tutum optimè educatus est. Cum is adoleuisset, pe-
 regrinas nationes inuisit, & magnum rerum usum
 sibi comparauit. Itaq; cum eius prudētia innotuis-
 set, communi totius ciuitatis consensu Biberacen-
 sis consul electus fuit. Eam dignitatem is summa
 laude suscepit, atq; nihil intermisit, quod ad patriæ
 honorem & Dei gloriam pertineret. Itaq; factum,
 ut in Sueuica illa confœderatione inter præcipuos
 consiliarios, et pacis atq; belli tempore rerum mo-
 deratores, cōstitutus fuerit. Cum autem Marquar-
 dus Romani pontificis (quem ipse magnum Pfsal-
 tum uocare solebat) intolerabilem fastum, atq; ipsius cleri tetros abusus & ua-
 rios errores conspiceret, eos apertè taxauit, & acerrimè reprehendit. id quod
 apud suæ ætatis homines inauditum & miraculi loco erat habitum. Reliquit
 is Marquardus filium Christopherum, qui & ipse multis uirtutibus insignis,
 per multos annos in patria consulatum gessit, atq; Euangelij doctrinæ in libe-
 ra illa & Imperiali ciuitate portas aperuit. Obijt pater uenerāda ætate insignis
 anno 1519. Christopherus uerò filius 1559. Vterq; uerò Biberaci in patria
 magno omnium luctu decessit, atq; honorificè terræ manda-
 tus fuit, Con. Vuolff.